


Johann Carl Langguth

**Hvgonis Epistola Ad Dn. Georg. Lvdovicvm Herzogivm J. U. D. In Qva Varia Dvbia  
Ex Eivs Praecognitis Jvrisprvdentiae Nata Proponvntvr**

[Deutschland], Anno MDCCXXXVI


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1867427176>


Druck Freier  Zugang





V. K. — 2 (67.)





XX  
Liii

HVGONIS  
EPISTOLA

AD

DN. GEORG. LVDOVICVM  
HERZOGIVM

J. U. D.

IN QVA

VARIA DVBIA EX EIVS PRAECOGNITIS  
JVRISPRVDENTIAE NATA PROPONVNTVR.

---

---

ANNO M DCC XXXVI

Tolle

20



## VIR CLARISSIME!



Non arcebis ab aditu tenuem hancce musam, quae non minus argu-  
menti, atque humanitatis Tuae fiducia  
viam ad TE affectat. Plane non du-  
bito, benignum TE fore interpretem, si  
dubia quaedam ex immortalis Praecogni-  
torum Tuorum opere mihi nata solen-  
ni quodam ritu TIBI offerrem, in hac praesertim temporum  
felicitate, ut dicere quae sentias et sentire quae velis, liceat,  
procul ab assentandi adulandique studio remoti. Inanem  
semper putavi eorum furorem, qui iram & vindictam in fron-  
te gerunt, quibus oracula sua quasi ex tripode reddita a dis-  
sensu vindicent. Nunquam fui adeo vile mancipium, ut  
ancillari adulatione aliorum gratiam inirem et eorum sen-  
tentiis sine ullo pretio me addicerem, est enim hoc servilis,  
non ingenuae frontis certissimum indicium. In libera vivi-  
mus civitate, in qua tot sunt libere sentientes Labeones, quot  
amoenioris ingenii iuris studiosi. Aeque igitur animo feras  
huncce diffensum, & contumeliosum parcas monitus illo Clau-  
diani de Bello Gildonico:

Tolli-

Tollite massylas fraudes removete bilingues  
Insidias et verba doli spirantia virus.

Ne consanguineis certetur cominus armis  
Deprecor. Haec trucibus Thebis, haec digna

Mycenis;

In Mauros hoc crimen eat.

Aliter si feceris, Satyra oppido erit parata. Ad rem ipsam, ne Tempora Tua ulterius morer, gressum dirigo. In § 1. ubi diversis significatibus iuris enumerandis operam das, statim fuit, quod legenti mihi Tuum libellum moram iniiceret. Dicit ibi, ius significare id quod aequum est, nec improbatum, eumque in finem in medium affers *l. 11. π. de J. et J.* Verum aliter longe sentit Paulus in *d. l.* dum ait, ius dici, quod aequum et bonum est, sed *semper* ut ius naturale; deinde non dicit, ius naturale ius esse non improbatum, siquidem illud nunquam improbari potest. Eundem significatum iuri, quod in Lege XII. Tab. PATER FAMILIAS VTI LEGASIT REI SVAE ITA *ἴψος* esto, obvium est, tribuis. Sed valde vereor, ne eorum sententia aequa nec improbanda videatur, qui ius ibi denotare legem sibi volunt. Nam graecus Institutionum Paraphraustes Theophilus Tit. de Lege Falcid. aperte huic interpretationi opem fert, dum verba: *ita ius esto*, graece reddit: *τῆτο νόμος ἔστω*. Pariter Justinianus in N. XXII. c. 2. verbo *νομοθετεῖν* utitur, ubi apud latinos verbum: *testari*, occurrit. Et quid verius est, quam supreams morientium tabulas apud romuleiam progeniem leges fuisse? Cogites modo, si per Tuos Tibi licet labores, testamenta in comitiis praesente et iubente populo facta esse. Cogites quaeso, ea omnia, quae in comitiis peracta sunt, leges fuisse,

X 2

liqui-

siquidem finitore Ateio Capitone lex fuit generale populi aut plebis iussum rogante magistratu, Gell. Noct. Attic. L. X. c. 20. ut adeo mirum non sit, si, ut idem noctium atticarum parens refert, privilegia translato nomine privatae leges dicta fuerunt, non alia, ut opinor, ratione, quam quod ea in comitiis facta sunt. Quae cum ita sint, vocabulum iuris in praedicta lege XII. Tab. non ius naturale, de quo Paulus *d. l. n.*, sed ius quoddam civile, denotat. Ad haec non capio, quid sibi velit ius cogens, cui *d. §. 1.* octavum significatum iuris assignas. Sive enim ius Gentium voluntarium, de quo Grotius *Lib. III. de Jur. B. & P. c. 2. §. 2.* a TE citatus loquitur, sive ius naturale hypotheticum, quod Justinianus notato a Grotio loco innuit, iuris cogentis nomine intelligas, idem octavus hic Tuus iuris significatus sub primo, quo lex indicatur, continetur, utpote cuius species certissimae sunt ius gentium voluntarium, si quod est, et ius naturale hypotheticum, de quo Grotius expresso agit *L. I. de Jur. B. & P. c. 1. §. 10. Sect. 4.* Ex eadem §. mihi non satis constat, utrum omnium significatum iuris numerum inire, an nobiliores saltem, commemorare volueris. Prius si velis, multum erras, dantur enim plures. Sin vero posterius, restant, crede mihi, non dicam nobiliores, sed aequae nobiles, et sciri necessarii. In §. 148. usum Constitutionum ab Hadriani aetate repetendum putas. Verum pace Tua dixerim, ante Hadrianum aequae magnum earum fuisse usum. Testantur hoc, ut breviter me expediam, *Edicta Augusti l. 8. π. de quaest. Claudii l. 15. π. ad L. Cornel. de Fall. Domitiani l. 2. π. de Custod. et Exhib. Nervae l. fin. π. ne de stat. def. Plin. Libr. X. epist. 66. Traiani l. 13. π. de iure Fiscii.* Ad decreta quod attinet, notum est *Antonini Decretum in l. 3. π. de his quae in test. del. noti sunt Libri VI. Pauli Imperialium Sententiarum in cognitionibus prolatarum.*  
Wie-

Wieling ind. iurisc. p. LXXXVI. Quis denique ignorat rescripta Divi Marci in l. 3. §. 2. π. de Leg. Tut. Severi et Antonini in l. 99. π. ad L. Falcid. Divi Pii l. 3. π. de Custod. & Exhib. Traiani ad Plinii Consultationes. Vid. Plinius L. X. Epist. 27. 29. 31. 37. 41. 43. 47. 49. 51. 53. 55. 57. 59. 61. 70. 72. 78. 80. 82. 84. 88. 98. 118. Haec satis evincunt, constitutionum usum non Hadriani temporibus accepto ferendum esse. Audiamus porro Tertullianum, qui, imperante Severo et Caracalla, vitam vixit. Is *Apologet. c. IV.* inquit: *Nonne et vos quotidie, experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squalentem sylvam legum novis principum rescriptorum et edictorum securibus rustatis et caeditis?* Quid ergo? nonne multa loquitur rescripta? nonne ea pene innumera fuisse oportuit? cum Macrinus referente Aelio Spartiano, ut vult Cl. Salmas. in not. ad pr. vitae Opilii Macrini, sive, ut vulgati Codices habent, Julio Capitolino in Macrin. c. 13. omnia veterum Principum rescripta tollere voluit. An igitur usus constitutionum ab Hadriani aetate repetendus est? In §. 156. ais, Codicem Justinianum opera triumvirorum, Theophili nimirum, Tribuniani et Dorothei, collectum fuisse. Verba Constitutionis ad Senatum Urb. Constant. ut omnium oculis pateat, quam valde hac de redubitare possim, apponam. §. 1. de Const. Imperator ait: *Ad hoc maximum et ipsius reipublicae sustentationem respiciens opus efficiendum elegimus tanto fastigio laborum, tantaeque sollicitudini sufficientes Ioannem virum Excellentissimum Ex quaestore Sacri nostri palatii, consularem atque patricium, Leontium*  
-2310 ) ( 3 virum


virum sublimissimum magistrum militum ex  
praefecto praetorio, consularem atque patri-  
cium Phocam virum eminentissimum, magi-  
strum militum, consularem atque patricium,  
Basilidem virum excellentissimum ex praefecto  
praetorio orientis atque patricium: Thomam  
virum gloriosissimum quaestorem Sacri nostri  
palatii et ex consule: Tribonianum virum ma-  
gnificum magisteria dignitate inter agentes de-  
coratum: Constantinum virum illustrem comi-  
tem sacrarum largitionum inter agentes et  
magistrum scrinii libellorum sacrarumque co-  
gnitionum: Theophilum virum clarissimum co-  
mitem sacri nostri consistorii et iuris in hac al-  
ma urbe doctorem: Dioscorum et Praesentinum,  
dissertissimos togatos fori amplissimi praetoria-  
ni. En! X. non III. viros, quos ad codicem suum priorem con-  
ficiendum Imperator adhibuit. En! altum de Dorotheo silen-  
tium. Nec est, cur erroris Tui patrocinium a nomine Excell.  
Domini Struvii petas, tantum enim adest, ut loco a Te citato  
contra ipsa Justiniani verba tam insigniter erraverit, ut potius  
ipfi lugendi imponas necessitatem, cum non eius, sed describen-  
tis sit error. In §. 158. Pand. A. 530. publicatos esse contendis. Fa-  
teor, hanc opinionem diu multumque me exercuisse, nihilque  
tandem aliud profecisse, quam ut eam ad paradoxa historiae iu-  
ris ablegarem. Et licet, ut forte putas, res clara sit, tamen cum Da-  
vus, non Oedipus, sim, vellem, me doceas, qua id fieri potuerit  
ratione, cum satis constet, compilatores triennium in confi-  
cien-

ciendis Pand. consumfisse, §. 12. *Const. de Confirm. Dig.* Qui ergo Pandectae A. 530. cum Codex Justinianus An. 529. editus sit, in lucem prodire potuerunt, praesertim cum subscriptio Constit. de Confirm. Digest. et Const. C. de V. J. E. nos doceant. sub tertio Justiniani consulatu A. 533. confectos et publica auctoritate denatos fuisse. In §. 159. inquis, Institutiones post Pandectas quidem confectas sed ante hos tamen d. 21. Nov. publicatas esse. Quomodo nunc haec inter se cohaerent? Pandectae A. 530. sunt publicati, et tamen Institutiones ante Pandectas A. 533. sunt editae. Fac institutiones ante Pand. fuisse publicatas, qui quaeso haec §. cohaeret cum §. 166. ubi Pand. Institutionibus cedere ais, cum vel Tua sententia in §. 88. lex posterior tantum deroget priori, non autem, quod regulae iuris negant, lex prior posteriori. Qui denique cum Imperatore, qui aperte ex uno eodemque tempore unaque die Institutiones & Pandectas valere iussit, *Const. de Conf. Pand. §. 23. l. 2. §. pen. C. de V. J. E.* ingratiam redibis? In eadem §. & in §. 166. ais, Institutiones desumptas esse ex Pandectis. Proh hominum fidem, ita nec cum Jurisprudencia agere ius fasque est. Audias velim Justinianum in §. 11. *Const. de Confirm. Digest.* dicentem: *Sed cum oportebat et aliquam mediocrem Isagogem facere in eorum gratiam, qui recenter leges attingunt, nec maiorem doctrinam portare possunt: neque hoc extra nostram providentiam reliquimus: scilicet Triboniano gloriosissimo, qui et ad totius operis legitimi gubernationem electus est, nec non Theophilo et Dorotheo, Magnificentissimis et prudentissimis Anticensoribus accersitis mandavimus: ut seligerent ex his, quae apud veteres erant isagogarum modo composita, &c. et ut mentionem etiam facerent nostrarum constitutionum quas pro emendatione veteris iuris promulgavimus.* *Conf. §. 6. Proem. Inst. Const. II. §. 11. C. de V. J. E.* Quomodo ergo sine ullo pignore  
asse-

afferere potes, Institutiones ex Pand. desumptas esse? quomodo  
porro ea ratione, ut in §. 166. ais, Institutiones cedunt Pande-  
ctis, tanquam auctoritatibus suis? Communicavi nunc Tecum  
ex antiqua formula, ut inter bonos bene agier oportet, dubia  
quaedam, quae si TIBI videbuntur levia, per me licet. Ipse  
enim salvo pudore affirmare nequeo, iis reconditam aliquam  
aut sublimem inesse eruditionem. Alii, ac ego, potius iudi-  
cent, quibus in erudito senatu ius suffragii est, quive triplicis  
aeris sunt. TE autem enixe moneo, ut intra **Litem Tuam**  
TE contineas, vereor enim, ne temere iudicando litem Tuam  
facias. Caeterum fac quam primum respondeas, graviora  
enim iam paravi dubia, ne mihi obnunties, scientiam meam  
angusto rerum vulgarium ambitu finiri. Vale nec ama sed  
dilige

**TVI**  
**VIR CLARISSIME**

valde studiosum  
**HVGONEM.**





afferere potes, Institutiones ex Pand. desumptas esse? quomodo  
porro ea ratione, ut in §. 166. ais, Institutiones cedunt Pande-  
is, tanquam auctoritatibus suis? Communicavi nunc Tecum  
antiqua formula, ut inter bonos bene agier oportet, dubia  
am, quæ si TIBI videbuntur levia, per me licet. Ipse  
lvo pudore affirmare nequeo, iis reconditam aliquam  
em inesse eruditionem. Alii, ac ego, potius iudi-  
in erudito senatu ius suffragii est, quive triplicis  
E autem enixe moneo, ut intra hrem Tuam  
ereor enim, ne temere iudicando litem Tuam  
fac quam primum respondeas, graviora  
bia, ne mihi obnunties, scientiam meam  
angultum ambitu finiri. Vale nec ama sed  
dilige

VIR  
VI  
BRISSIMA

HVC

